Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1759

Quelle:
Copyright:

Fol. 108. p. 2. *Incipiunt conſuetudines domni Guigonis prioris carthuſie* 80. Capitibus, quae in edit. *Baſil.* ipſas *Conſtitutiones antiquas* antecedunt. Additae ſunt 37. *priuate conſuetudines ſicut habentur in domo noſtra Carthuſie, quas bene decet eſſe in qualibet alia domo ordinis* &c. In his occurrunt *Capelluli* pro Pileolis, *Sconſa* pro Laterna abſconſa ſeu coeca, *Galylea* (Gallerie) pro Porticu.

Fol. 127. p. 2. *Incipiunt nove Conſtitutiones* pariter tripartitae, prout habentur poſt *antiquas* in edit. *Baſil.* Additur ad calcem Decretum contra *Priorum ordinis noſtri euagaciones nimias et diſcurſus, eorumque veſtes et equitaturas curioſas et plus debito precioſas*, quod in edit. *cit.* non reperi.

Fol. 151. calamo paullo recentiore praevia obſervatione hiſtorica de magnis Prioribus Ordinis, et Prologo ſuccedit *Tercia compilacio ſtatutorum ordinis cartuſien.* quae et in edit. *Baſil.* ſuccedit.

In folio Codici praefixo tria manu Sec. XVI. exarata ſunt: 1) Fides *Antonii* (*Ciochii*) Cardinalis S. *Praxedis*, et (quod neſciit *Ciaconius*) Ordinis Carthuſ. Protectoris: *Leonem* X. ad ſuas, *Franciſci de Puteo* Prioris Generalis, aliorumque Ordinis Priorum preces dediſſe veniam B. *Brunonis, quamvis non reperiatur aliter canonizatus ſolennitus per ſummos Pontifices ſuæ Sanctitatis predeceſſores, ut moris eſt, Feſtum ſub ſexta Octobris die in ipſius duntaxat ordinis domibus, et earum eccleſijs ſeu capellis ſolenniter colendi et deuotione debita celebrandi, prefatique Brunonis corpus et memoriam dignis in Domino laudibus proſequendi et venerandi, Officiumque conveniens in honore ipſius beati confeſſoris agendi et decantandi, nec non commemorationem ſingulis diebus faciendi ex tunc et de cetero in perpetuum.* Data *Rome in palatio apoſtolico Die decima nona menſis Julij Milleſimo quingenteſimo Quartodecimo. Leonis* II. 2) *Ordinacio Capituli generalis Carthuſie celebrati* A. 1515. 7. *Maji* et ſeq. Conformiter ad praedicta traditur ratio cultus S. *Brunonis* per univerſum ordinem, praeſcribitur Officium chori et miſſae, jubeturque *Bruno* in Litaniis invocari *immediate poſt S. Benedictum.* 3) *Sequitur Modus ſe habendi religioſe tempore Schiſmatis.* Hic *modus* in calce dicitur *miſſus ad priores ordinis per Reuerendum patrem Cartuſie* (Franciſcum de Puteo) *Anno domini* 1512. Experti videlicet jam erant boni Viri incommoda, dum in Schiſmate *Gregorii* XII. et *Benedicti* XIII. pars eorum una *Bonifacium Ferrerii* fratrem S. *Vincentii* Priorem magnae Carthuſiae, altera *Stephanum* Priorem in *Seytz Styriae* ſequeretur. Ideo monentur hic, ut ingruente rurſus ejusmodi calamitate in ſimplicitate Deo deſerviant, ſtudio partium vacui judicium Eccleſiae permittant, et nexum perpetuum cum matre Carthuſia conſervare conentur.

DCCXXXIV.